

1521 quamplurimis difficultatibus implicitum differri in dies ; Rex quin etiam secretiori cum Pontifice firmandæ societati moras nectere , vel quod Leonis artes , cuius animum antea expertus fuerat , vereretur , vel quia Cæsare multis difficultatibus septo , sibi vero cunctis ex sententia fluentibus , absque aliorum ope per se satis ad bellum gerendum expeditus videtur . Leo quoque plurimas antea sibi a Gallis illatas injurias mente repetere ; aliquando , ne summi Principes in Pontificii imperii perniciem arma jungerent , vereri ; incredibili nonnunquam Parmæ , Placentiæ , ac Ferrariæ urbium obtainendarum desiderio flagrare ; quæ Mediolani a Lautrechio , & Tarbellensi Episcopo juri Ecclesiastico adversa gererentur , non æquo animo pati ; ut tandem non absque omnium admiratione , quod , qui paulo ante ingenti ardore animi Francisci amicitiam concupiverat , is momento mutata sententia Carolo adhærens Italicam pacem turbare , Cæsar is potentiam sibi antea invisam augere , atque innumeris se se periculis objectare decreverit . Angebatur Cæsar is animus ob Cantabriæ a Gallis illatum bellum : Mediolanensium extorum spes , Helvetiorum nuper cum Rege inita societas maxime exstimulabant : difficile igitur non fuit , ut quos utilitatis species permoverat , societas quoque devinciret . Mutua itaque defensio Hetruriæ , ac Mediceæ familiæ patrocinium , Mediolanensis expeditio , Parmæ , & Placentiæ Pontificiæ ditioni adjectio , Francisci Sfortiæ Tridenti tunc vitam agentis in paternum imperium restitutio , Ferrariensis oppugnatio , jurisjurandi , quo Cæsar Neapolitano regno potiri vetabatur , absolutio secreto pacta . Ea priusquam in vulgus emanarent , statuunt clam per insidias , aut repentinio aliquo armorum tumultu Gallos inopinato adoriri . Genua , quæ tunc in Regis clientela quiescebat , tentata , Mediolanensis ditionis urbes per dolos petitæ ; sed utraque inani prorsus eventu contigere .

Senatus Venetus , ad quem nonnihil de consiliis a Leone mutatis pervenerat , latenter , astu , ac dolis belli initia tegi ratus , ut validiori præsidio urbes , arcesque firmarentur , decrevit : trium millium Italorum peditum delectum statim haberi jussit ; si majore numero opus esset , id Sapientum Collegio permissum : cumque Thomas Scudus Lautrechii frater , ac Tarbellensis , ut Theodorus Triultius copiarum Reipublicæ

Fædus in-  
ter Pontifi-  
cem , & Cæ-  
sarem .